SANCTI GERARDI SAGREDO PATRICII VENETI

Ex Monacho, & Abbate S. Georgij Maioris Venetiarum, Ordinis S. Benedicti, Epiſcopi Canadinenſis Primi, Ac Hungarorum

PROTOMARTYRIS APOSTOLI VITA

Ex antiquiſſimis Authenticis manuſcriptis, tum etiam excuſis Codicibus optima fide collecta, & Annotationibus illuſtrata,

Per D. ARNOLDVM VVION FLANDRVM Monachum Sancti Benedicti de Mantua:

Acceſſere præterea quamplurimi qui tam Latine, quam Italice de eodem Sancto Martyre memoriam ſcriptis poſteritati reliquere.

Apud Io. Baptiſtam, & Io. Bernardum Seſſam, fratres. 1597.

10
20
7

ILLVSTRISSIMO D. D. BERNARDO SAGREDO, SANCTI MARCI PROCVRATORI,

Domino ſuo colendiſſimo.

SVnt qui Romanorum veteres familias ſingulas ſingulis encomijs attollant: ſunt & qui peregrinas, ac recentiores ſuis laudibus proſequantur. In illis natalium ſplendorem iactant nonnulli; alij viros fortes, & auidos gloriæ bellicæ prædicant; quidã eloquentiæ maieſtatem cum vrbanitate coniũctam attollunt; conſtantiam, ac generoſum animi ro-

bur,morum, verborumque dulcedinem, plerique admirantur: In iſtis plurimi generis antiquitatem, a fabuloſis initijs plerumque petitam,proſequuntur; cæteri fidem, liberalitatem,iuſtitiam,pulchritudinem,ſimilesque animi, & corporis dotes morales, quæ proſapiam aliquam illuſtrem magis, & claram reddunt,ad ſydera euehere conantur. Quæ quidem omnia, licet in ampliſsimis ſint ponenda laudibus; eiuſmodi tamen ſunt, vt ſi non omnia ſimul, eorum tamen multa cum non paucis alijs familijs ſint communia. Vellē ego idcirco Illuſtriſsime Procurator, vt hi familiarū laudatores,familiam tuam cernerent,haberēt profectò in vna domo ampliſsimam laudandi materiam,neq; vanis titulis conquirendis per omnes terras, & per tam multa ſæcula vagarētur. Quicquid enim ſparſim quæritur, apud illam ſimul inuenitur. Et quamuis multæ familiæ, cum hac tua, nonnulla recenſere queant communia, propter quæ & ipſarum genus eximijs laudibus extollatur; ex quocunque tamen genere,atq; inſtituto vitæ, gloriam quæſieris,ſi verè veram laudem, quæ Chriſtianorum eſt,metiamur,hæc ſola inter Patricias, ac generatim omnes familias Venetas, iure glo-

riari

riari poteſt, ſe ex illius progenie originem du cere, quæ, non dico ſuperiorē, ſed nec parem in tota patria ſua habeat. Viros pace ac bello præclaros, doctrina excellentes, omnique heroica virtute ornatos, rerum, & dignitatū Eccleſiaſticarum locupletes, necnō Sereniſſ. huius Reipubl. moderatores habuiſſe, pulchra profectò eſt, & laude digna contentio: At eiuſmodi etiam ſanctitatem, ex qua veriſsima oritur laus, addidiſſe, omnem gloriam ſupergreditur humanam: tantoque familia talis, cæteras antecellit, quanto ſpiritualia, & æterna, corporalibus ac temporalibus præſtant. Talem autem progeniem tuā eſſe, præcipuo S. Gerardi ex monacho, & Abbate Benedictino, Epiſcopi, & Protomartyris Veneti, merito, adeo omnibus eſt manifeſtum, vt nulla inde relinquatur dubitationis occaſio. Hic ex familia tua Sagredo Patricia ortus, id præſtitit, vt omnium primus, idemque vnicus, ex familijs Venetorum (nullū enim alium martyrem Venetum alibi vnquam me legiſſe recolo) tam Patricijs, quam ciuilibus, & Plebæis, ſanguinis ſui effuſione, per martyrij gloriam, nouum, vnicum, atque omnium præcipuum decus, Virgo, Monachus, Doctor, Abbas, Epi-

ſcopus,

ſcopus, Apoſtolus, duplicique ratione Protomartyr, in tuam proſapiam inferret, ita vt huius rei cauſa, nulla alia familia Veneta, cum hac tua verè Sacrata, æquiparāda veniat. Eius autem ſanctiſsimi Viri vitam, quæ hactenus in tenebris latuerat, cum reperiſſem, omni precioſo theſauro anteponendam duxi; remque vtilem ac neceſſariam me facturum exiſtimaui, ſi eandem ſub Tui nominis auſpicio, typis excuſam mundo legendam proponerem, ex cuius lectione, & boni ad meliora ſectanda incitentur, & illius poſteri, quorum Tu caput eſſe dignoſceris, qui talem Parentem habere ſe gloriantur, ex eius ſe ſanguine procreatos, virtutum imitatione demonſtrent. In eius verò correctione (ſcatebat enim multis erroribus & mendis) R. P. D. Arnoldus, Vuion, Belga, monachus ſancti Benedicti de Mantua, vir (vt reliquas eius virtutes omittam, ſcio namque teneram eius verecundiam) in rebus Monaſticis, & Eccleſiaſticis hiſtorijs exercitatiſsimus, vſus eſt plurium exemplarium collatione, dum in Monaſterio Sancti Georgij maioris huius ciuitatis Venetiarum moraretur, omnemque dedit operam, vt primum quàm correctiſsima, deinde & Annotationibus ſuis

illuſtra-

illuſtrata in publicum prodiret. Suſcipe ergo, Illuſtriſſ. Procurator, hoc familiæ tuæ munus, etſi perexiguum, eo animo, quo meipſum pro tua humanitate, ſemper amplexus es, & ample cti ſoles. Vale.

Venetijs 4. kal. Martij. 1597.

Tuæ Illuſtriſſ. D. ſeruus addictiſſ.

Ioannes Bernardus Seſſa.

LEGENDA SANCTI GERARDI EPISCOPI, ET MARTYRIS, NOBILIS VENETI DE DOMO SAGREDO.

NVEL... ROMA BIBLIOTECA

De Parentibus, Patria, ortu, & inſtituto Sancti Gerardi.
Cap. Primum.

Exordiū

Patria Sā-ɛ̃ti Gerardi.

GAVDIA quæ Chriſti participibus dies hodierna cõtulit, ex Beati Patris noſtri, Chriſtique Martyris Gerardi, meritis fluxere. Is enim huius lucis lumen per Venetos Parentes ſortitus, Dei gratia illum præueniente, ab ipſa pueritia cępit Domino noſtro Ieſu Chriſto eſſe deuotus, & doctrinæ Euangelicæ per omnia parere. Itaque, & ipſum Monaſticæ Religionis habitum puer accepit, ſiniſtramque primi parentis viam declinans, noui hominis ſecundum Deum creati, veſtigijs inſiſtens, regionis per inobedientiam amiſſæ, nempe

Narratio Familia nobilis, & Parentes Sãcti Gerardi.

Paradiſi gaudia, adoleſcens ſtuduit appetere, & amare. Cuius Pater Gerardus nomine, de familia Sagredo, cum eſſet inter alios nobiles conciues nobilis, & acceptabilis, placeretque omnibus eiuſdem Ciuitatis habitatoribus, fama bona deportatus eſt ad longinquas regiones: duxit autem ſibi vxorem de eadem Ciuitate nobilem, moribus ornatam, à parentibus in timore Domini eruditam, eleemoſynis, boniſque operibus cęteras mulieres præeminentem, quæ candelas, vel lucernas, alias quoque eleemoſynas per ſe, vel alias domicellas, Eccleſijs quotidie miniſtrabat. Pater autem eius, cum eſſet diues, inuitabat Presbyteros, Clericos, & amicos, & vicinos, quos in menſa ſua ſplendide reficiebat. Quadam autem die ait vxori ſuæ, mulier eſto ſecura, & ora Deum, & ſanctam Dei genitricem, vt nobis donet hæredem: multos namque tranſierant dies ſine liberis. Tribus itaque annis euolutis, in die Beati Georgij martyris filium, quem à Domino poſtulauerunt, recepe runt, vnde in baptiſmo Georgius appellatus eſt: erat autem carus parentibus, à quibus diligenter educatus, cum eſſet quinque annorum, cœpit magnis febribus æſtuare. Quod videntes Parentes eius, obtulerunt eum Sancto Georgio martyri, cum oblationibus ad eius Monaſterium deferentes puerum pro obtinenda ſanitate, coram Abbate, & Monachis. Ad quorum orationes cum eſſet ſanatus, veſtitus eſt habitu regulari; tranſactoque in ſcholis Monachorum quinquennio, Magiſter eius, conſiderato ſagacitatis eius ingenio, mirabatur quòd eos, qui ipſum prçuenerant, ſcientia antecelleret.

Cõmendatur ei⁹ Mater à pietate maximè.

Naſcitur in die B. Georgij, & vocat Georgi⁹.

Fit Monachus ĩ S.Georg.

De

De expeditione Hieroſolymitica, & morte Patris eius. Cap. II.

FACTVM eſt autem, vt ad imperium ſummi Pontificis tota Chriſtianitas in expeditionem, ad ſepulchrum Domini recuperandum, Hieroſolymam ſe proficiſci præpararet, pro eodem loco ſancto pugnare parata; Inter alios Pater Georgij, gratia Dei protectus, pro ſalute animæ ſuæ, cum cęteris raptus, ad ſanctum locum ſine læſione peruenit. Cum autem ibi eſſet Chriſtiana acies in oratione, & expectaret de cęlo auxilium, offerens vnuſquiſque Domino orationes ſolemnes, & priuatas; populus Machometanorum de ſua virtute confidens, in aciem Chriſtianam non modica impro peria emittere auſus eſt, habens fiduciam in fortitudine armatorum, auxilium inuocans Machometis, per quem plebem Chriſtianam exiſtimabat poſſe ſuperari. Quod cum gratia mediante diuina, contrarium eis obueniſſet, & Chriſtiana victoria obtenta cum gaudio ad propria remearet, Pater Georgij ibidem aliquandiu remanſit, & ſicut optarat adhuc domi exiſtens, ſpiritu Deo reddito in terra Sancta meruit ſepeliri. Quod cum Matri Georgij innotuiſſet, plorans, & lugens maritum multo tempore, venit ad prænominatum monaſterium, lugensque virum dicebat, heu me Gerarde cui nunc dimiſiſti filios tuos?

Expeditio in infideles ſub Pôtifice Sergio 4. anno Domi. 1009.

Pater Gerardi moritur ĩ terra Sãcta.

Propter quod petiuit Patrem Monaſterij, ut filio Georgio nomen Patris imponeret, vnde vocatum eſt nomen eius ex eo die Gerardus.

Ob memoriam Patris ſui vocat' Gerardus.

De ſancta eius conuerſatione in Monaſterio, & promotione ad Prioratum. Cap. III.

Qualis fuerit in Cęnobio

IPSA autem, poſtquam Vincentio filio ſuo minori vxorem nobilem accepiſſet, plena bonis óperibus quieuit in pace; & ſepulta eſt in eodem Monaſterio ſuperius nominato. Igitur Gerardus in ipſo Monaſterio habitás, magis Deo quam vanitati adhærebat. Vnde deſpectis omnibus, quæ ſibi huiuſmodi Religionis habitus, quem ſuſceperat, vetabat, votum quod Deo vouerat, implere ſolicitè feſtinabat; ꝓpter quod iunctus monachorum probatorum cætui, ad omnia, ſibi ab Abbate iniuncta, exhibebat obedientiam ſine mora.

S. Gerardus fit Prior.

Cumque perueniſſet ad tempus prouectioris ætatis, placuit omnibus ipſum præficere officio Prioratus. In quo dum ſine reprehenſione conuerſaretur, factus Fratribus cęteris regularis diſciplinæ in exemplum, octauum gradum humilitatis, qui ducit vitam communem, ſibi eligens, non ſolum moribus exercebat, ſed etiam inquantum Patris ſpiritualis licentia permittebat, atque iuſtorum exempla hortabantur, feſtinabat adimplere.

Cap. 7. de humilitate.

De

De aſsidua lectione ſcripturarum, & miſsione eius ad ſtudium Bononienſe. Cap. IIII.

OMNI enim tempore, præter dies feſtos, aut Dominicos, in quibus matutinorum, aut aliarum horarum ſinaxis, cantus, & lectiones protractius ſolent extendi, cilicio aſperrimo vtebatur. Cumque ſic permanendo ſe affligeret, nunquam tamen communicata atque iniuncta ſibi officia negligebat.

Vtebatur cilicio Gerard⁹.

Igitur cum intentus eſſet Prophetarum, & Apoſtolorum, orthodoxorumque Patrum lectionibus, perſcrutabatur diligenter expoſitiones eorum. Nemo vnquam vidit illum verboſum, aut ocioſum, vel vinolentum; propter iuſtitiam tamen, ſic dictante æquitatis ratione, nullus videbat eum ſilentio ſtudentem, aut tacentem: dicebat enim melius eſſe iraſci propter iuſtitiam, quàm per ſilentium abſcondendo cõculcare veritatem. Si quando vidiſſes eum iratum, ſtatim reuertebatur in ſemetipſum. Sicque permanſit in monaſterio, in ſtudio, in eremo, omni tempore, omnibusque diebus, quibus onus huius carnis portauit.

Lectioni aſſiduè vacat.

Quadam die, cum Abbas ſuus Gulielmus conuentui intereſſet, dixit: Fratres cariſſimi neceſſe eſt, vt ex nobis aliquos, quos aptiores inueneritis, pro adipiſcendo fructu ſcientiæ ad ſtudium tranſmittamus, ne ordo Patris noſtri Sancti Benedicti in ſcientijs liberalibus detrimentum patiatur. Placuit autem Fratribus verbum Abbatis, & conſtituerunt Gerardum, & Serdianum, quos, datis expenſarum neceſſarijs, Bononiam tranſmiſerunt. Ibi notabiliter, egregieque in ſcientijs grammaticæ, Philoſophię, Muſicę & Decretorum, omniumq; liberaliũ ſcien-

Gulielmus Abbas ſecũdus Sãcti Georgij. Monaſterium Sancti Georgij ſub rẽgula S. Benedicti.

Mittitur Gerard⁹ ad ſtudiũ.

ſcientiarum artibus inſtructi, quinto ab hinc anno à ſtudio reuocati, ipſarum ſcientiarum libros ſecum aſportarunt.

Quomodo factus ſit Abbas, & de Peregrinatione eius ad terram Sanctam. Cap. V.

Fit Abbas Gerardus, tertius Sãcti Georgij.

DEFVNCTO autem Patre Monaſterij, Magiſter Gerardus eligitur in Abbatem, qui cum ſuſcipere onus recuſaret, a conuentu tamen prius de inobedientia increpatus, Pater Monaſterij, licet inuitus, ordinatus eſt. Tempore autem, quo præfatum Monaſterium regebat, ſe ipſum diuina coadiuuante gratia in exemplum cunctis Fratribus exhibebat. Omnia videlicet, quæ docebat diſcipulos eſſe contraria, in ſuis indicabat operibus non agenda. Cum ſic igitur ſyncero animo ſanctam vitam duceret, poſt nonnullos monaſterialis regiminis annos, cupido ei inceſſit, Dominicum ſepulchrum inuiſendi, vt Chriſtum, qui cum diues eſſet, propter nos egenus factus eſt, inops ipſe, & pauper ſequeretur, viſitaretque locum, quem Chriſtus ſui pręſentia glorificauerat. Hæc igitur dum anxiè cogitaret, proponeretque ad Monaſteriũ S. Hieronymi in Bethleem, vt lectione librorum eius frueretur, pariter proficiſci, tentabat officium Abbatis quod ſuſceperat, reſignare; quod cum fratribus innotuiſſet, quibuſdam quidem placuit, quibuſdã verò non; ita vt diſceſſio eius terrorem grauiſſimũ, & anxietatem ſpiritus omnibus incuſſerit. Egreſſus itaque de terra, & de cognatione ſua, tendebat ad Orientem, vbi Abraham, & diuitijs auctus eſt, & Pater multarum gentium effectus;

Proficiſci vult Hieroſolymam.

effectus; vbi etiam ipſe in Abrahæ ſemine, id eſt Christo, datam benedictionem, ſuſcepto peregrinationis labore, inſtar fidelis Abrahæ adipiſceretur. Aſſumpto ergo itinere, & nauem Caduēſium mercatorum ingreſſus, cum ſuis comitibus nauigationem inchoauerunt. Exorta autem eis magna difficultate remigandi in mari propter cōtrarium ventum, & maritimam tempeſtatem, applicuerūt cuidam Monaſterio, in quo contigit Dominum Raſinum, Abbatem Monaſterij S. Martini, adeſſe, olim Amicum ſuum peculiarem; factumque eſt, quòd cum propter tempeſtatem inde egredi non valerent, compulſi ſint tota quadrāgeſima ibidem demorari. Quod Dominus Gerardus grauiter tulit, cuius mœſtitiam Raſinus cōſiderans ait, Ne cauſeris Domine Gerarde de diſcrimine vitæ tuæ; volūtas Dei eſt, vt ita fiat, quādiu verò mecum eris, tibi & tuis comitibus libenter victui neceſſaria miniſtrabo. Sed quæro, vt iuxta intellectum ſcientiæ tuæ reſpondeas mihi. Tu cum ſis magiſter in Italia, & Abbas tuus Gulielmus ea de cauſa te miſit ad ſtudium, vt Doctor fratrum fieres: Vnde poſt modum rediens, diuina prouidētia Abbas effectus es, omnibusque placuiſti à pueritia; nunc verò tam magnificum locum deſerens, & fratres plenos mœrore relinquens, ad gentem ignotam pergere feſtinas, fuit ne aliquis tecum in conſilio? Cui ille, nemo; & dixit, ſi nemo, ergo minime prodeſt: Si autem aliquis, crede poſſe aliqualem euenire profectum: licet nunquam legimus, aliquem Monachum clauſtralem pro huiuſmodi negotio Ieroſolymam petijſſe, exceptis duntaxat girouagis: laicis enim hæc via conſtituta eſt, & hoc ſancta ratione præliandi; Monachis verò, alia, quam Charitas veſtra non ignorat. Ibi enim qui in expeditionem adſcribuntur, pugnare tenentur; & ſi qui Iudæi Genitricem Saluatoris te præſente vituperauerint,

Peregrinatur.

Monaſterium S. Georgij etiam illo tempore magnificū erat & amplum.

nequa-

nequaquam vtile tibi erit audire. Ne putes, quòd te velim reprehendere, ſed tecum tantum conferre, vt animaduertas, & mente pertractes, vtrum bene egeris, an non. Quibus auditis erubeſcens Dominus Gerardus ait, ſicut fuerit voluntas in Cęlo, ſic fiat, & ſic capillus de capite meo non peribit.

De mutatione propoſiti ad terram Sanctam peregrinandi. Cap. VI.

TRANSACTIS tandem diebus quadrageſimæ, ait Abbas Raſinus, Domine Gerarde, quod cogitaſti tecũ de itinere tuo, non erubeſcas mihi cordis tui propoſitum reuelare; ſcio enim quia bonum deſideras, & non
Cor humanum instabile
malum, & quia cor humanũ, in hoc corpuſculo poſitum, ad diuerſa inclinatur. Reſpondit ille, omnia quæ dixiſti, vſque modo vera ſunt; & maximè verſiculus, quem in finem protuliſti, quia veriſſimus eſt, & noueris in veritate, quia cor meum diuiſum eſt. Cui ait Raſinus, ſi diuiſum, ergo infirmum. Quamobrẽ infirmis, ſanitatis eſt neceſſaria medicina. Crede etiam Domine Gerarde, me fidelem Socium tuum eſſe, & ſyncerum amicum recognoſce. Vnde ſi veritatem dixero, audies? At ille, libenter. Et ait Abbas Raſinas: Ecce pergis Ieroſolymam ad prædicandum Saracenis, & Iudæis, quomodo te recipient qui Apoſtolos non receperunt? In mari verò ſi naufragium tibi euenerit, vnà cum ſcientia tua in profundum
Cap. 2.
ſubmergeris, neq; enim es Iona Propheta, vt poſſis in ventre ceti tribus diebus permanere. Igitur placeat tibi conſilium meum, vt conuertas mentem ad liberandum infide-

lium

lium animas à Dæmonibus oppreſſas: Sanctorum Apoſto lorum imitare exẽpla; conſidera, quid hac vice plebs Hungarorum maximè requirat, quia in mundo ad lucrandas animas Domino, locum ad præſens inuenire non poteris apriorem. Ego autem paratus ſum charitatem tuam in omnibus adiuuare: Vnde ſubridens Dominus Gerardus mirabatur in verbis ſuis, quia nunquam tale quid aſcenderat in cor eius de prædicatione, & conuerſione Hungarorum, pro quibus ipſe Raſinas tam ſolicitè precabatur. Statuit igitur apud ſe Dominus Gerardus acquieſcere conſilijs Abbatis Raſini.

Hortatur ad prædicandum Hungaros.

De profectione in Hungariam ad fidei prædicationem, & quam gratanter ſit acceptus.
Cap. VII.

ASCENDENTES ergo ſimul nauẽ venerunt Iadriam, vbi ordinatis victui neceſſarijs, librisque Aſinis ſuis impoſitis, aſſumpto ſecum quodam ductore, Crato nomine, qui vias, & ſemitas illarum partium nouerat, ab eo vſque in Neugrad ſine offenſione conducti ſunt. Deinde à prædicto Cratone alio ſibi ductore conſignato, tendebant Orientem verſus in Neagidim, deinde Vereroche, tandem verò Quinque Eccleſias ad Dominum Maurum Epiſcopum peruenerunt. Cumque ibi moram facerent Epiſcopo eos detinente, accidit Dominum Anaſtaſium, Varadienſem Abbatem, illis diebus Quinque Eccleſias aduenire, qui ab eodem Epiſcopo charitatiuè ſuſceptus eſt. Cumque idem Abbas Anaſtaſius, tam egregium Clericum, & religioſum cognouiſ-

Proficiſcitur ĩ Hungariam.

ſet, Epiſcopo nunciante de Italia aduenisse, venit ad eum feſtinās, vbi habitabat in quadam Domo ſeparata. Cumque mutuò loquerentur, cognouit eum, tam in verbis diſcretè prolatis, quam in habitu corporis, hominem Deum metuentem eſſe. His peractis die ſequenti Maurus Epiſcopus vnà cum Domino Abbate, venientes ad Domum vbi hoſpitabatur, præbuerunt ei conſolationem fraternæ charitatis. Inter mutua autem colloquia ait Dominus Anaſtaſius Abbas Mauro Epiſcopo; Auctore Deo tempore huius venerabilis Regis venientes in hoc Regnum prædicauimus populo verbum Dei, & nunc licèt immeriti facti ſumus, tu tamen factus es Epiſcopus, ego Abbas; Dominum autem Gerardum eadem deuotione exiſtimo aduenisse: ponentes ergo eum in noſtro vehiculo, ducamus ad Regem, quem à nobis pro magno munere ſuſcipiet, quia nobis præcepit omnes venientes recipere, & quos idoneos cognouerimus, pro perſona ſua ſpecialiter reſeruare.

S. Adalbertus Epiſcopus Pragenſis ſecūdus, ex monacho Benedictino.

Ad hoc verò reſpondit Maurus Epiſcopus dicens. Tu, inquit, Abbas, noſti, quòd à diebus quibus Sanctus Adalbertus magiſter noſter intrauit Regnum Hungariȩ, qui hunc Regem, adhuc Paruulus cum eſſet erudiuit, & etiam nunc in iuuenili ȩtate conſtitutum ſcimus cunctis habitantibus cum eo benefacientem, labor veſter vacuus non fuit. Nam quos ante vidimus ſeruire Idolis, modo videmus Ieſu Chriſto feruenter adhærere. Non enim ſine nutu Dei credimus fore factum, vt Dominus Gerardus in hanc Prouinciam per tanta diſcrimina itineris aduenirer, quem Dominus Ieſus perduxit ad nos, vt non ſolum temporalis Regis gratiā inueniat, ſed, & ſempiterni. Ad quod Gerardus ſubmiſſo vultu humiliter reſpondit, dicens. Benefaciat vobis omnipotens Deus Reuerendi Patres mei, & Domini, pro cuius amore laboratis, me ignotum amore fraterno diligentes:

ſed

ſed quia charitas in veritatis articulo prælucescit, nolo vos latere, ob quam cauſam deuenerim in hanc Regionem. Inerat mihi voluntas ſeruire Creatori noſtro in Patria, in qua ipſe pro ſalute cunctorum ſe ſubdidit ſeruituti: diſpoſueram enim mare tranſire, vt locum Dominicum viſitarem, ſed vento contrario prohibente, votum quod conceperam, non potui adimplere. Vnde admonente Domino Raſina ad Danubium conuerti iter meum, confidoque illuc, quo diſpoſui, mediante veſtro auxilio, me poſſe peruenire: Cui reſponderunt. Ceſſa, inquiunt, Gerarde ab hoc propoſito, & noli diſtrahi per huiuſmodi cogitationes. Voluntas enim Dei te adduxit huc. Vbi autem voluntas Dei, ibi omnia bona. Nam libris Hieronymi, qui Hieroſolymis ſunt ſcripti, totus mundus particeps effectus eſt, Tu verò ſcribe, doce, prædica, & conuerti in Hungaria, donec tempus eſt laborandi. Maurus autem Epiſcopus Dominũ Gerardum à die Inuentionis Sanctæ Crucis, vſque ad diem beatorum Petri & Pauli apud ſe retinuit. In quo feſto dominus Gerardus fecit ſermonem ſuper verbo hoc, Hi ſunt viri miſericordiæ. Abbas vero ex Varadino vocatus per Epiſcopum huic feſtiuitati intererat. Qua peracta aſſumpſit ſecum Gerardum, tenuitque vſque ad feſtum Sancti Benedicti in Varadino, in quo fecit ſermonem ad populum ſuper verbo, Iuſtus germinabit. Cui Maurus Epiſcopus ſimul intererat. Cognouit autem Epiſcopus Gerardum ducem eſſe verbi, quia à die, in qua incepit verbum Dei diſſeminare in Hungaria, talis clericus non fuiſſet viſus in eadem prouincia; ipſe tamen ſemper intendebat Hieroſolymam.

Volebat Hieroſolymã proficiſci.

Prædicat. Eccleſi. cap. 44.

Oſeę. ca. 34.

Quomodo ſit adductus ad S. Stephanum Regem, & Epiſcopus Moriſſenus deſsignatus.

Cap. VIII.

FACTVM eſt autem cũ beatus Rex Stephanus pro celebrando die feſto Beatæ Virginis annuali Albam veniſſet, vt mos erat conuocare Epiſcopos & Abbates, vt huic ſacræ ſolennitati ſimul intereſſent, Maurus Epiſcopus, & Anaſtaſius Abbas, domino Gerardo ſecum aſſumpto, ad ipſum diem feſtũ ad Regem Albam venerunt. Captata aut opportuna hora ſalutauit Gerardus Regem. Cumque vidiſſet Rex Gerardum, ait clam ad Epiſcopum, Vnde venit iſte ad nos? videtur enim mihi homo eſſe timoratus. Cui Epiſcopus reſpondit dicens, de Ciuitate Venetiarum, Hieroſolymam accelerat properare: egregius enim clericus eſt. Cui Rex ait. Nunquid ſi hic nobiſcum permanſerit, Dei clericus non erit? & nos ſerui Dei ſumus. Quomodo poteſt hac terra inuenire ad ſeruiendum Domino meliorem? non ergo permittatis eum abire: Expectet adhuc modicum, donec iuuante Domino, debellabo Acthum inimicum meum, & dabo illi Ciuitatem Moroſſenam, vt in ea Epiſcopus ordinetur. In craſtino autem conuocans eum Rex ad ſe ait illi, bene veniatis, inquit, bone vir, faciat vobis Deus bene hic, & in futuro. Et ille flexis genibus cum reſalutaret Regẽ beatum, nulla inquit à veſtra deuotione petere veni, peregrinus enim ſum, Hieroſolymam proficiſci cupio, & ſocios etiam habeo, qui deſcenderunt mecum in Danubium. Cui Rex, deſine, inquit, bone vir ab hac intentione tua, & permane nobiſcum,

Adducit ad S. Stephanum Regem.

Moroſſena Ciuitas nũc dicit Chonad, & à recẽtioribus Hiſtoricis Cenadiũ appellat.

nobiſcum, vt bene ſit tibi magis, prædica hic populo noſtro, credentes confirma, infideles conuerte, nouam Neophiticam plantationem irriga, & dabo tibi in Regno meo vbique poteſtatem prædicandi; dabo tibi coadiutores qui tibi ſeruiant die, ac nocte. Tu tãtummodo aperi os tuum, & ſemina in corde populi huius ſemen vitæ. Hieroſolymã ire noli, neque enim te permittam. Ecce dedi tibi hodie Epiſcopatum Vrbis Moriſſenæ. Quibus auditis rurſus ſuper terram adorauit, & deinceps vocatus eſt Gerardus electus. Quo facto ſciſſum eſt cor eius, & vinculum conſilij eius ruptum, & quod à multis ſtatuerat diebus, contrarium hic diſpoſuit in momento. *Deſignat Epiſcop⁹ Moriſſenus.*

Quomodo vi retentus eſt a Rege, & de profectione eius ad Eremum. Cap. IX

IGITVR adueniente feſto Beatæ Virginis Gerardus cappa indutus, aſſumpto interprete, Domino videlicet, Conrado Albenſi Præpoſito, aſcendens pulpitum ſuper verbo, Mulier amicta ſole, ſermonem ad populum inchoauit, nec fuit ſcriptura de qua non propoſuerit exemplum, Rege, populóque ſpectantibus, & mirantibus omnibus Chriſtianis, de tanta diuini verbi conſolatione, propter quod ipſum nimis diligebant. Conſummato feſto cum vnuſquiſque ad propria remeaſſet, vbi animaduertit Rex Gerardum moribus, & doctrina, bonum Chriſti odorem ſpirare, clam dimiſſis itineris eius ſocijs, illum ſolum apud ſe retinuit inuitum, eiúſque ſeruando cuſtodes adhibuit, & ſolatia in Palatio ſibi *Apoc. cap. 9.*

con-

Fit magiſter Emerici Ducis: qui deinde fuit Sanctus.

congruenti, fecitque eum filij ſui Emerici Ducem, & Magiſtrum diebus multis. Factum eſt autem cum videret beatum Emericum creſcere in virtutibus, honeſtamque Hungarico genere, Chriſto auxiliante, vitam exercere, & ſe ſolum illic derelictum conſiderans, vt populi ſtrepitus euitaret, eius regionis Eremum, quam Beel vocant, petijt, atque illic ſeptennio ieiunijs, & precibus vacans, excepto Mauro Monacho, ſolus habitauit. Interea memoratus Rex Stephanus, vt robuſtiſſimus Ioſue, impietatem gentis profligauit, crudeleſque ac barbaros Ethnicorum mores edomuit, ac plurimorum pectora ad ſuſcipienda ſanctæ fidei ſemina præparauit; Gerardus autem, orationum, & vigiliarum exercitijs deditus, immobilis permanſit, ædificans ſibi Eccleſiam, in qua dictabat libros, quos propria manu ſcribebat. Quadam autem die cum dictaret, & præ nimia imaginatione caſu dormitare cœpiſſet, venit Cerua vna cũ pullo ſuo, qui ſe iuxta eum in terra proſtrauerunt. Ecce autem Ceruus fugiens ante lupum impetu magno irruit ſuper eos. Quo caſu perterrita Cerua effugit, ſuumq; pullum circa lectum dereliquit, qui latere cupiens atramẽtum eius quo ſcribebat, in terram ſubuertit; domumq; venientem Gerardum pullus ſecutus eſt, paneque nutritus amplius ab eo non receſſit. Alio autem tempore Sanctus Gerardus cũ portaret ſarcinam, ante portam lupum iacentem reperit, quem cum vulneratum eſſe conſpiceret, portam ei aperuit, lupuſque cum eo intrauit. Cum autem Sarcinam depoſuiſſet, lupus ante pedes eius ſe in terram proſtrauit, nec prius ſurrexit quam ſanitatem ſuſciperet, & ab illo die, tã pullus ceruæ, quàm lupus ibi permanſerunt, qui ſimul ad paſcendum è domo exeuntes alter alterum non moleſtabat.

Viuit in Eremo.

Compoſuit libros.

Cerua, cũ pullo ad eũ accedit.

Vide eius humilitatem.

De bello Sancti Stephani Regis contra Achtum Principem, & denominatione Ciuitatis Canadinæ.

Cap. X.

IN diebus illis erat quidam Princeps in Vrbe Moroſſena nomine Achtum potens valde, qui ſecundum ritum Græcorum in ciuitate Buda fuerat baptizatus. Hic gloriabatur nimium in virtute, & etiam in Prouincia ſua, habebatq; ſeptem vxores, eo quod in religione Chriſtiana perfectus non erat. Regi autem Stephano honorem minime impendebat, confidens in multitudine militum & nobilium, ſuper quos dominium exercebat, equorum indomitorum multitudinem habebat innumerabilem, exceptis his quos paſtores in domibus ſub cuſtodia ſeruabant. Erant ei etiam pecora infinita, quæ omnia habebāt paſtores ſuos deputatos. Inſuper allogia procurans vſurpabat ſibi poteſtatem ſuper Salinas Regis, deſcendensque in Moroſſum, conſtituebat in portibus eiuſdem fluminis vſque in Tibiſcum tributarios, & cuſtodes, & concludebat omnia ſub tributo. Accepta autem poteſtate à Græcis, cō ſtruxit in præfata Vrbe Moroſſena Monaſterium in honore Sancti Iohannis Baptiſtæ, conſtituens in eodem Abbatem cum monachis Græcis, iuxta ordinem & ritum ipſorum. Seruiebat nanque eidem viro terra à Fluuio Chryſius qui à partibus Tranſiluanis fluit, vſque in Budin ac Celinem, quæ omnia ſub ſua conduxerat poteſtate. Vnde procedēs cum multitudine armatorum, Regem minime

Preſentis capitis hiſtoria cū à nemine tractet, mihi haſtenus ignota.

Vocatur hic Achtū in fine capitis ēt Pulchtrō & de quodam Aco agit Bonfini⁹ rer. Hūg. lib. 2. decad. 2.

Moroſſus Fluuius nunc ab Hūgaris dicit Maracz. vide Annotationem.

De Tibiſco agit Bonfini⁹. pag. 228.

Monaſteriū Græcorum S. Iohannis Baptiſtæ.

De Chryſio Bonfinius pag. 231.

reputa-

Canadinus capitaneus Achtum.

reputabat. Et erat ei quidam miles valde honoratus, nomine Canadinus, qui cæteros dignitate præcellebat, quibus ipſum Dominum prępoſuerat. Hic accuſatus eſt apud Dominum ſuum valida accuſatione, propter quod dominus ipſum interficere cogitabat. Cumque obſeruaret tempus, quo eum perderet, loquitur ſecum in dolo; quod cum Canadinum non latuiſſet, inde fugiens occultè venit ad Regem, quem Rex ad Chriſtum conuertens baptizari iuſſit. Volens autem fidem eius experiri, explorando ſecreta Domini ſui, intellexit quod non doloſè ad ipſum confugiſſet. Vnde cognita eius fidelitate, & perſeuerantia, ait ad optimates ſuos; Præparamini, inquit, contra Achtum aduerſarium noſtrum in prælium, & præoccupemus Regnum eius. In quo ſermone adhuc examinabat Canadinum intuens eum, vt eius fidelitatem amplius probaret. Quod cum audiuiſſet Canadinus, valde gauiſus eſt, addiditque Rex dicens Principibus ſuis, eligite vobis talem virum qui ſit Princeps veſter in prælio. Qui reſpondentes dixerunt, & quis aptior inueniri poteſt Canadino? quo dicto eum rapientes Principem conſtituerunt. Reſpondens autem Canadinus ait. Sicut Domino noſtro Regi placet, ſic fiat; Chriſtianus nouus ſum, nouiter baptizatus, nouum ſubire volo prælium, paratus viuere & mori vobiſcum. Egrediamur igitur, & præliemur contra hoſtes Domini mei Regis: bonuſque viſus eſt hic ſermo in oculis omnium. Congregantes autem exercitum egrediuntur in pręlium. Cumque tranſiſſent Titiá inierunt certamen contra Achtum, & exercitum eius. factuſque eſt fragor, & ſonitus magnus, & durauit bellum vſque in meridiem, cecideruntq; vulnerati multi hinc & inde ex vtraque parte: erant enim viri ad bella fortiſſimi. Vnde exercitus Canadini fugam iniens latuit in vepribus; & in Zeroregh, & in omni domo vſque

Canadinus fit Princeps regij exercit⁹.

Canadinus ſuperatur.

vſque ad Sterziam: eademque nocte Canadinus caſtrametatus eſt in quodam monte, quem poſtea Araſianum nuncupauit. Achtum autem poſuit caſtra ſua in campo nomine niger. Exploratores verò vtriuſq; partis vigilantes, hinc & inde diſcurrebant. Igitur Canadinus noctem illam ducens inſomnem orabat Sanctum Georgium martyrem, vt ſibi à Domino cœli auxilium impetraret. Votumque vouit, quod ſi precibus eius annuens aduerſarij victor exiſteret, in loco orationis, quo genua flexerat in terram, in honorem eius Monaſterium ædificaret. Cumque præ nimio labore, & fatigatione ipſum ſopor inuaſiſſet, apparuit ei inſomnis forma leonis ſtans ad pedes eius, dicenſque, ò homo quid dormis? ſurge velociter, cane tuba, egredere in prælium & ſuperabis tuum inimicum. Cumque euigilaſſet, videbatur ſibi quaſi duorum virorum vires recepiſſe. Vnde conuocato exercitu, ſomnium quod viderat, enarrauit eis dicens, poſt orationem, quam proſtratus obtuli coram Domino, & Sancto Georgio martyre in hac nocte, inuaſit me ſopor, vidique ad pedes meos quaſi leonem ſtantem, trahentemque vngulas, & dicentem. Surge homo quid dormis? Congrega exercitum, vade, & vinces, qui nunc dormit, hoſtem tuum: dicentes centum quadraginta Pater noſter. Egreſſi ergo ſunt in prælium ſine mora, expectantes per merita beati Georgij martyris auxilium de cœlo, qui eos in forma Leonis dignatus fuerat viſitare. Eadem autem nocte exercitus Achtum, qui iacebat in campis, alter ad alterum terga vertens inijt fugam. Pulchtron verò interfectus eſt in loco prælij ab exercitu Canadini; cuius caput abſcindentes miſerunt Regi, acceperuntque die illo ſpolia multa, & repleti ſunt omnes gaudio magno, eo quòd inimicus Regis cecidiſſet. Corpora vero Chriſtianorum,

Votũ facit ſancto Georgio martyri.

Acht⁹ fugatur, & occidit, Is eſt Achtus.

notum, qui ceciderant in prælio, tollentes duxerunt ad Moroſſenam, & ſepelierunt in Cęmiterio S. Iohannis Baptiſtæ in monaſterio Græcorum, quia in eadem prouincia aliud monaſterium tunc non erat. Monachorum autem ipſius loci, Vrbi pars tertia deſeruiebat, quos Canadinus non repulit, ſed in eodem ſtatu, in quo inuenti ſunt, manere permiſit. Quo facto aſſumens Canadinus Abbatem de eodem monaſterio cum aliquibus fratribus, venit ad locum in quo ei apparuerat leonis imago, vt votum, quod Sácto Georgio promiſerat, adimpleret. In quo quoque die ſocietati ſuæ magnum conuiuium præparauit: Deinde tranſeuntes Tertiam venerunt ad Regem. Iam verò caput Achtum appenſum fuerat ſuper turrim portæ ciuitatis. Videns autem Rex Canadinum gauiſus eſt gaudio magno, ſed Geriſulam ſocium eius ſuper omnes extollebat, quia caput Achti ſe Regi detuliſſe gloriabatur. Quo audito Canadinus ſubridens, ait: Si caput Regi attulit, cur etiam linguam non apportauit qui Regis inimicum interfecit? mentitus eſt Regi Geriſula, præſentato capite dicens ſe Regis aduerſarium occidiſſe. Cumque Regi caput fuiſſet allatum, & ore aperto lingua non fuiſſet reperta, Geriſulam ob mendacium de domo Regis eiecerunt. Canadinus vero linguam de burſa extrahens, à Rege ſublimatur. Quem conſtituendo Principem domus Regis, & domus Achtum, ait; ab hac die Vrbs illa non uocabitur Moroſſena, ſed Vrbs Canadina, pro eo quod inimicũ meum tuliſti de medio: eris Comes illius Prouinciæ, ipſa quoque ſub titulo nominis tui titulata, Prouincia Canadina vocabitur in generatione, & generatione. Poſt hæc veniens Canadinus ad locum, vbi Leonem verè inſomnis viderat, in honorem beati Georgij Martyris Monaſterium ædificauit,

Caput Achtum ſuſpenditur ad portam Ciuitatis.

Canadiñ vnde dicta.

uit, cui nomen Araſinus impoſuit, introducens il luc memoratos græcos monachos de monaſterio beati Iohannis Baptiſtæ una cum Abbate.

De ordinatione Sancti Gerardi in Epiſcopum, & diſſeminatione Euangelij per duodecim Monachos. Cap. XI.

S. Gerardus reuocatur ab Eremo.

VIDENS autem pius Rex Stephanus Regnum ſuum pacis trāquillitatem adeptum, ſeruum Dei Gerardū ab Eremo reuocauit, pontificaliq́ue dignitate decoratum, ad prædicādum populo ſuo deſtinauit, huiuſmodi eum verbis alloquens; Moleſtaui te inquit, homo Dei in hoc tempore importuno. Voluntatis quidem meæ fuit duodecim Epiſcopatus, quos in Regno meo facere decreueram, Epiſcopis implere, ſed retardatus fui aliorum voluntate, quorum vt verè arbitror, Satanas cooperator fuit: nunc ergo tibi Epiſcopatum tradimus exiſtimantes te perdita poſſe aſſumere: ſed cum clericos, quos conſtituamus præſules eccleſiaſticos, ad pręſens non habeamus in obſequium noſtri, tollamus Eccleſiarum, & monaſteriorum clericos, & monachos, qui ſine ordine eccleſiaſticę inſtitutionis ſint nobis in diuino officio adiutores. Ego autem Comitibus meis præcipiam, vt à populo tempore ſuo decimas exigant, vt nullū defectum in temporalibus, & alijs rebus neceſſarijs patiamini: tantummodo exercitate in Chriſti obſequio officium veſtrū prædicando, baptizando, ac infideles ad Chriſtum cōuertendo. Igitur ad ipſum regis imperium congregati ſunt

Monachi de diuerſis Regni Monaſterijs: de Varadino duo Stephanus, & Anſelmus; de Zaladino duo, Conradus, & Albertus; de Beel duo, Vlricus, & Vualterus; de Zobor duo, Crato & Taclo; De monte Pannonio quatuor Philippus, Henricus, Leonardus, & Concius. Hi duodecim Preſbyteri monachi, erãt viri literati, quos Canadinus Comes in currum ſuum imponens in diœceſim Canadini duxit, & primo quidem in loco Araſinus dicto, vbi monaſteriũ in honorem beati Georgij martyris ædificabat, eos collocauit. ſanctificato autem eodem loco magnum conuiuiũ inſtruxit Epiſcopo, & fratribus, quos etiã plurimis donarijs remunerauit. Indeque proficiſcentes venerunt in Vrbem Moroſſenam, vbi erant Græci, qui diuina ſecundum ritum, & græcorum conſuetudinem celebrabant. Epiſcopus autem inito conſilio cum Comite Canadino, eundem Græcum Abbatem cum Monachis ſuis tranſtulit in Craſanum, Monaſteriũ verò ipſorum ſibi & fratribus ſuis reſeruauit, qui in eodem habitauerunt, donec Monaſterium beati Georgij perficerent. Tantam autem ſuperna pietas ei contulit gratiam, vt eum omnes loci illius incolæ vnicè amarẽt, & vt Patrem colerent, ita vt iam pater multorum, inſtar Abrahæ Patriarchæ, haberetur. Confluebantque ad eum nobiles, diuites, & pauperes, poſtulantes in nomine Trinitatis Deificæ baptizari; quos ipſe, tanq̃ mater filios ſuos, ſuſcipiens, ad menſam ſuã reficiẽdi gratia inuitabat: ducebantur etiã multi per Comites, quos cõſtituerat Rex, & baptizabantur in Monaſterio B. Iohan. Baptiſtæ: ſtabat enim multitudo populi ad ianuã Ciuitatis, habentes ſecũ victualia, nec erat requies his qui eos baptizabant, prẽterq̃ nocte. Erat eis grandis labor, tamẽ pro noĩe Chriſti, in cuius opere laborabãt, ipſum ęquanimiter tolerabant. Epus aũt verbũ Dei his, qui fuerãt baptizati, cõtinuè p̃dicabat.

Zobor cœnobiũ in territorio Nitrię̃ſi cõſecratum ĩ honorem S. Hippolyti martyris: & mons Pãnonius ĩ honorẽ S. Martini.

Græci ex monaſterio S. Iohannis transferunt Craſanũ, & latini introducũtur.

Amatur S. Gerardꝰ ab omnibus.

De fructu quem faciebant Monachi, & inſtitutione ſcholarum.
Cap. XII.

INTER præfatos verò Monachos erant ſeptem viri literati, & in Hungarica lingua interpretes expediti, ſcilicet Albertus, Philippus, Henricus, Conradus, Crato, Taclo, & Stephanus; qui etiã per ſe populo verbum Dei prædicabant; per ipſos enim tota Canadinenſis Prouincia ſacri eloquij flumine extitit irrigata. Hi officium Archiepiſcopatus habentes ædificabant Eccleſias in Vrbibus, & in villis. Populus autem licèt adhuc nouæ plantationis, verbum Dei feruenti ſpiritu audiebat, meditando in lege Domini die ac nocte. Quadam autem die venerunt triginta viri Neophiti ad Epiſcopum, petentes vt tolleret filios eorum, ac literis erudiret, quos benigne ſuſcipiens ſub Vualtero conſtituit, dans eis vnam Domum ad hoc aptam, vt eos ſcientijs grãmaticæ & muſicę informaret: qui in breui in ipſis artibus non mediocriter profecerunt. Quo viſo nobiles, & magnates, filios ſuos tradebant prædicto Vualtero inſtruendos, ad adipiſcendum fructum ſcientiæ artis liberalis. Iſti ſunt primi Monachi Canonici, in Monaſterio Beati Georgij Martyris ordinati, quos Epiſcopus ſub magna diligentia nutriebat, eo quòd non alienæ eſſent prouinciæ, quatenus per eos Eccleſia Dei poſſet magnificentius exaltari. Igitur in feſtiuitate beati Iohannis Baptiſtæ facta prædicatione, & benedictione data, acceſſerunt ad Epm̃ quaſi centum viri, poſtulantes ſibi ſanctificari loca pro Eccleſijs cõſtruẽdis, de quorũ deuotione Eṕs non modicũ lætabať.

Erant Archiepiſcopi titulares, ſiue regionales.

Vualter Monach magiſter ſcholæ.

Factoque conuiuio Epiſcopus ad menſam ſuam inuitauit cum cæteris diuitibus vniuerſos pauperes, qui adeſſe poterant. Cumq; ſurrexiſſent de menſa, obtulerũt Epiſcopo varia dona, & munera, & clenodia, videlicet, equos, oues, boues, puluinaria; mulieres vero, anulos aureos, & monilia; quibus dicebat Epiſcopus, nunquã propter hoc vos inuitaui, vt omnes vos expoliarem, abſit; ſed vocaui ad audiendum verbum Dei. Cui reſponderunt vniuerſi dicentes; Quia pater Sancte audiuimus te hodie in ſermone Dei proteſtantem, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum, ſuſcipe ergo quæ tibi offerimus pro Chriſti nomine, in quo ſumus ad vitam ab errore reuocati. Factum eſt autem, cũ Epiſcopus egrederetur cum fratribus ſuis ſuam viſitare diœceſim, vt cõſecraret eorum cœmiteria, qui erant Eccleſias conſtructuri, recipiebantur ab eis, tanquam Sancti Apoſtoli ſigna, & prodigia facientes, quibus etiam munera ex eis omnibus, quæ habebant, prompto animo offerebant. Illi autem præfati ſeptem Monachi præibant Epiſcopum prædicando, & baptizando populum in omnem locum, quo ipſe erat venturus, per quos applicabatur Domino innumerabilis credentiũ multitudo, quorum oblationibus ſuſceptis in Vrbem tranſmittebant Moroſſenam. Epiſcopus autem gerebat magnam ſolicitudinem pauperum, ſcholarium, monachorum, & hoſpitum, ad cuius nutum ducebantur paruuli, & tradebantur ad ſcholas, in quibus adeo ſolicitè informabantur, vt noctes pro diebus computarentur. Cum verò ſcholares triginta primi in cantu, & lectura, iam eſſent inſtructiſſimi, Dominus Epiſcopus eos ad ſacros ordines promouens Canonicos cõſtituit. Mittebat etiam nuncios vltra Danubium, & congregabat ſcholares, quos ſic cõgregatos, preſbyteros Eccleſiarũ, & rectores in Parochijs faciebat. Concurre-

Offerunt ei varia munera.

Conuertũtur populi per monachos.

currebantque ad eum Teutonici, Boemi, Poloni, Galli, quibus ordinatas parochias ſuæ diœceſis conferebat. Videns verò Magiſter Vualterus ſupercreſcere numerũ ſcholarium, laboris onere preſſus dixit ad Epiſcopum; Non ſufficio, inquit, huic multitudini in vtroque præeſſe officio, cantus videlicet, & lecturæ; mitte ergo alium adhuc magiſtrum lectorem, vel cantorem. Miſit ergo Epiſcopus fratrem Maurum ad ſalutandum Regem, pręcipiens ei, vt etiam ingrediens ſcholas, quæ tunc in Alba Regali erant famoſæ, accerſeret Doctorem ſcholarum, & adiuuaret eũ. Qui veniens Albam, peracto apud Regem negotio, intrauit ſcholas, vbi erat quidam Teutonicus nomine Henricus, qui erat puerorum vice magiſter, quem cum allocutus fuiſſet, & præbuiſſet ille aſſenſum, continuo ſurgens acceptis libris ſuis venit cum eo ad Epiſcopum; ſuſcepit autem illum gratanter Epiſcopus, & conſtituit eum Principem lectorum ſcholaribus; Vualterus autem præerat illis in cantu.

Fr. Maurus monachus.

De conſtructione Eccleſiarum, & eius pijs inſtitutis in honorem Virginis Mariæ.

Cap. XIII.

CRESCENTE igitur numero fidelium, & Clericorum, Eccleſias vir Dei per Vrbes ſingulas ædificauit, principale autem monaſterium in honore beati Georgij martyris ad litus Moroſſi fluminis conſtruxit, atque inde Moroſſenam ſedem appellauit, quam beatus Rex Stephanus muneribus dotalitijs

nota-

notabiliter ditauit. In quo monaſterio ad honorem Matris Dei Saluatoris Venerabilem aram erexit, ante quam argenteum turibulum collocauit, eiusq; miniſterio duos prouectæ ætatis homines adhibuit, qui iugiter illic vigilarent, ne vlla vnquam hora thymiama ibi deeſſet. Singulis quoque Sabbatis diebus Epiſcopus, ſicut in Aſſumptionis eiuſdem ſanctiſſimæ matris, magnis laudũ præconijs deuotionis ſuæ officium cum nouem lectionibus illic explebat. Eiſdem etiam diebus opera miſericordiæ in pauperes maiori charitate exercebat. Cęteris autem diebus matutinis, & veſpertinis precibus abſolutis, bis cum proceſſione eo venire ſolebat, quæ conſuetudo hodie quoque perſeuerat. Porrò laudibus, & venerationi eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis tantæ humilitatis obſequio ſe ſubdere nouerat, vt ſi quis reus clam à Sancti viri familiaribus edoctus veniam ab eo peteret per nomen Matris Chriſti, mox audito nomine matris miſericordiæ Pater Sanctus lachrymis perfunderetur, & perinde ac ſi ipſe reus eſſet, à reo veniam peteret. Filium quoque ſuum illum fore affirmaret, ſi eam ſyncerè Dei crederet genitricem. Ipſo auctore ab Hungarica gente non pronunciatur nomẽ ipſum Matris Dei, ſed Dominam eam vocant, Patronamq́ue Hungariæ appellant. Si ſit autem pronunciatum illius nomẽ, ſtatim flexis genibus & demiſſis in terram capitibus ſeſe inclinãt. Atque adeo Pannonia, à ſancto ſuo Rege Stephano, familia Sanctæ Mariæ appellata eſt. Oh laudandam virorum prudentiam, qui in hanc maris ſtellam intendendo vitæ ſuæ curſum dirigebant; quatenus contemplatione exemplorum eius poſſent inter huius ſæculi fluctus nauigantes voluptatum illecebras, & incitamenta, tãquam ſcyllæam voraginem declinare, portumq́ue æternæ ſalutis attingere.

Nota de perpetuo thymiamate.

Deuotio eius in diuã Virginẽ, in cuius honorẽ primus omnium diẽ Sabbati ab omnibus honorari inſtituit.

Quæ inſtitutio poſtea ab Eccleſia laudata ĩ tota Chriſtianitate ſeruatur.

S. Gerardo auctore Húgari magna reuerẽtia matrem Dei colũt ipſamq́ue Patronãappellãtvſque in pſenti die, & in ipſorũ moneta aurea & argentea eodẽ titulo excuditur.

De eius ſolicitudine circa diuina miniſteria, & miſericordia circa afflictos.

Cap. XIIII.

ERGA miniſteria Eccleſiaſtica magna beato viro cura, & ſolicitudo inerat. Itaque æſtiuo tempore in domo Dei vaſcula glacie plena ponebantur, in quibus lagunculæ, & vinum, quod poſſet optimum inueniri, ad Dominici ſanguinis conſecrationem aſſeruarentur: dicebat enim quod per fidem intus accipitur, id extrinſecus ſuaue inueniri. Nocturno tempore leproſum in ſuo reponebat lectulo, & accepta ſecuri, ad ſiluam ſolus pergebat, faſciculoſque lignorum pro corporis ſui caſtigatione proprijs humeris inde reportans, ſeruorum ſuorum labores ſæpe anteuertebat, ac ſubleuabat. Cum illi proficiſcendum eſſet à loco in locū, non iumento vtebatur, ſed vehiculo; in quo ſedēs libros, quos Sancti ſpiritus gratia compoſuerat, relegebat. Veſtibus ciliciis, & ex arietum pilis confectis ſæpe induebatur. Vt autem ſanctis hominibus vſu venire ſolet, aliquando negligentia aurigæ ſui, aut qualibet iniuria læſus leui ira cōmotus iuſſit protinus hominem reum flagellis cęſum, duris vinculis alligari: Parebant verò illi miniſtri; ſed non ignorantes animi eius clementiam, & ſuauitatem, iuxta viam, qua ſanctus Pater tranſiturus erat, hominem culpæ obnoxium ad ſtipitem alligabant, & plagarum veſtigia in eius dorſo nudo gallinæ, aut alterius animātis ſanguine exprimebant. Cumque eo perueniſſet homo Dei, oblitus ſeueritatis ſuæ, illico è vehiculo exiliens ad vinctum illum

Fecit hoc ne vinū aceſceret

Not. eius humilitatem.

Eius leuē cōmotionem mira arte miniſtri facilè ſedāt.

properabat, & modo ſtipitem, brachia, manus, ac vincula, modo pedes oſculabatur, munera pollicebatur, ſi veniã & miſericordiam ab homine conſequi mereretur. Si cui tum id videre contingeret, illum virum Dei pro tanta humilitate, & ſimplicitate dicere, non dubitaret conuerſum in puerum illum, quem ſaluator imitandum ſtatuit in me

Matt. 18. dio diſcipulorum ſuorum.

De vigilantia eius ſuper gregem ſuum, quibuſdam miraculis & alijs incidentibus.

Cap. XV.

ETSI autem Epiſcopalem functionem, & dignitatem ſumma prudẽtia adminiſtraret, attamen Eremũ nõ reliquit, ſed apud vrbes ad quas concionaturus veniebat, cellulas ſibi in ſyluarum ſecretioribus locis conſtruxit, in quibus ligatus pernoctaſſe, multaſque afflictiones, ſoli Deo cognitas, pertuliſſe memoratur. Quoties ad aures eius perueniſſet quempiã aduerſa laborare valetudine, medicinæ loco mittebat ei, ſiue panis, ſiue pomi, ſiue herbæ odoriferæ particulam, ſimul mandans vt ſanus ſurgeret; mox verò diuinæ miſericordiæ fauore eius ſermonem proſequente incolumis ille efficiebatur. Inerat ei etiam admirabilis quædam ſolicitudo pro commiſſo ſibi grege. Nam quoties aliquorum filiorum, quos Chriſto genuerat, ſanctus Rex Stephanus virga æquitatis pro admiſſo ſcelere punire cupiebat; Hic pa-

Eius miſericordia. ter zelo pietatis, & miſericordiæ, lachrymis defendebat, & ſic pietas iuſtitiæ annexa culparum iudicium Deo re-

linquebat.

linquebat. Cum autem aliquando pro cuiuſdam defenſione ad beatum Stephanum Regem properaret, in eius regionis parte quadam pecoribus paſcendis opportuna & apta, vir Dei hoſpitio vſus fuit. In ea autem domo ſub noctis medium ancilla quædam manibus vertens molam, qua triticum terebatur, laboris moleſtiam cantilena temperabat. Ea autem cantilena expergefactus vir Sanctus, accerſito Vualtero, inquit: Vualtere audis Symphoniam Hungarorum quam dulcis ſit? quo verbo ambo conuerſi ſunt in riſum. Cumque mola ſola manu mulieris traheretur, & cantus creſceret, adhuc ſubridens ait, Vualtere, inquit, ediſſere mihi quænam ſit iſtius melodiæ cauſa, quę tantam vim habeat, vt me à lectione ceſſare compellat? Cui ille, iſta, inquit, modulatio carminis, eſt cuiuſdam mulieris cantantis, ancillæ huius hoſpitis, apud quem hoſpitamur, quæ molit triticum domini ſui tempore ſuo, quia alia molendina in hac regione omnino reperiri non poſſunt. Cui Epiſcopus, an, inquit, currit, an laborat manibus trahendo ita, vt opus perficiatur in momento? Reſpondit Vualterus id quod res erat, mulierem, ſcilicet, non currendo, ſed manibus proprijs molam circumrotando, laborare vſque ad operis perfectionem. Mox pius paſtor infuſus lacrymis miranda res, inquit, qualiter ſe tueatur, & conſeruet Hungarica natio, nam niſi ſic ageret, huiuſmodi laborem quis tolerare poſſet? Felix, infert, mulier, quæ cum ſit ſub alterius poteſtate conſtituta, debitum ſeruitutis officium, tam ſuauiter, abſque vllo murmure perſoluit; iuſſitque ei non minimum pecuniæ pondus deferri.

Debitum ſeruitutis officium ſuauiter perſoluédum.

De donarijs quibus honoratus eſt à Rege, rigore eius in delinquentes, & ſpiritu prophetico.
Cap. XVI.

FACTVM eſt autem, poſtquam veniſſet ad Regem, & ſua negotia feliciter peregiſſet, vt quidam nobilis de graui ſcelere apud Regem delatus ſit, cui cum multitudo nobiliũ veniam ei impetrare nullatenus potuiſſet, iſte ſolus delicti remiſſionem obtinuit. Illis autem diebus, quibus moratus eſt apud Regem, tantæ admirationi ſanctitas eius, & conuerſatio fuit habita, vt Epiſcopi, Abbates, Sacerdotes, Clerici, & Nobiles qui ibidem erant congregati, Deum, de tanto ſibi conceſſo munere ſummopere glorificarent. Monaſterio item beate Mariæ Virginis, in quo ſibi locum ſepulturæ elegerat, illa vice quingentarum marcarum precium à Domino Rege obtinuit, cum decem pecijs purpurarum, & triginta pecijs pãnorum; à Regina verò quatuor pecias purpuræ, & totidem ſindones, quæ ad opus quoque Sancti Georgij martyris mille marcas promiſit, quas diebus ſuis integraliter iuxta promiſſum adimpleuit. Cum autem eſſet conſuetudo viri ſancti, vt nullum ex Canonicis ſuis in villa pernoctare permitteret, exceptis his qui in viam mittebantur, ſed omnes in vno loco, vel domo dormire iuberet: ſiquis eorum ad matutinas non veniſſet, præbenda ipſo die carere volebat. Nullum item ex ipſis adire domum ſuſpectam ſolum permittebat, dicebat enim eis: In quo differtis, inquiebat, à laicis, ſi talia facitis, niſi in tonſura, & habitu? Vtebantur verò in choro ſuprapelicijs, extra chorum autem cappas rotundas ferebant. Quemcunque

Zelus ei' in delinquentes.

autem

autem ipſorum in crimine manifeſto reperiſſet, priuabat beneficio. Eũdem verò habitum ſanctæ religionis, quem à pueritia ſuſceperat, ipſe nunquam mutauit. Accidit autẽ quodam tempore, vt ipſe Canadinus Comes haberet quẽdam vinctum inſignem, qui cum pro reatu ſuo ad patibulum duceretur, euadẽs manus eorum, qui ipſum vinctum ducebant, fugam petijt, & in monaſterium Beatæ Virginis Mariæ ex manibus eorum exiliens, aufugit. Illi autem velociter ſubſequentes, cum ad oſtium Monaſterij perueniſſent, ſubſtiterunt, dicebantque ad eum, benefeciſti, inquiunt, vulpecula, quia laqueum perditionis euaſiſti, & cum pelle, qua ſpoliandus eras, in ſpeluncam requietionis introiſti: ex quibus verbis factus eſt riſus magnus in populo. Idem verò vinctus datus eſt monaſterio pro pulſatore cunctis diebus vitæ ſuæ. Quodam autem tempore cum idem ſanctus Pater eſſet in ſuo loco cathedrali, & haberet ſecum Capellanos, qui eius lateri adhærebant, duos etiam monachos, & ſocios ſpirituales, retraxit ſe ab eis, & in cubiculo ſuo remanſit, præcepitque vni eorum, vt infra triduum nullum ad eum intrare permitteret, nec cibum inferre deberet; quod cum factum eſſet, quarto die ſilenter exiuit, & ad locum ſuæ ſepulturæ veniens, ibi cooperto capite diu plorauit. Tandem ad capitulum, vbi Fratres conuenerant, venit; cumque reſediſſet, fecit ſermonẽ de curſu ſæculi, ſimul de pſeudo monachis, & inter cætera hæc dixit: Scindetur, inquit, Hũgaria, & ſoluetur à iugo Chriſtianitatis, à ſacerdotibus vſque ad laicos, laborque & prędicatio noſtra deſpicietur, & verbum Dei non recipietur: Clerus deſpectui habebitur: Monachi erunt varijs coloribus in habitu, & in diuerſis cõuenticulis morabuntur, deſerta fugient, & vitam ſolitariam non amabunt, multi etiã appetitu vanę gloriæ, laudes humanas quærent, & erũt

S. Gerardus etiã Epiſcopus nunq̃ deſeruit habitum monaſticum.

Ventura prędicit.

populo

populo in parabolam & deriſum, propter inſtabilitatem ſuam, & præſumptionē; hęc & alia quæ ſanctus Vir prædixerat, gladio vltionis per Andream Regem, iuxta prophetiam eius, impleta ſunt.

De morte Sancti Stephani Regis, & ſchiſmate pro ſucceſſione Regni. *Cap.* XVII.

POSTQVAM autem beatus Rex Stephanus totam Pannoniam ad veram Chriſti lucem adduxit, eamq́ue ſub patrocinio Sanctiſſimæ Matris Dei voluit contineri; atq; in ipſo die Aſſumptionis eius migrans à corpore, ipſe quoque ad æternam requiem aſſumptus eſt. Succeſſit autem ei Petrus Rex. Cui cum omnes Pannonię Principes fidem, & amorem ſe conſeruaturos iuraſſent, vnus ex eis Abba nomine, qui erat comes Palatij, illo exturbato, regiam ſibi auctoritatem per vim vſurpauit. Eo autem regnante ſicut propheta ait, ſanguis ſanguinem tetigit, & peccata peccatis cumulata ſunt. Namque ipſis ſanctis quadrageſimę diebus honeſtiſſimos quoſque ſui conſilij viros, ſudibus, ac palis, perinde vt immunda pecora, interficere non dubitauit. Deinde ad Moriſſenam ſedem, nempe beati Gerardi Pontificis locum, paſchalia ſacramenta celebraturus aduenit; atque in ipſo die Dominicæ Reſurrectionis, vt pater eiuſdem loci regio capiti diadema impoſiturus adueniret, ab Epiſcopis, & Principibus per honeſtiſſimos viros inuitatur. At illo renuente, reliqui Pontifices Regi coronā imponunt, magnoq́ue cleri, & populi comitatu Rex ornatus Eccleſiam ingreditur. At verò plenus Spiritu Sācto beatus Epiſcopus ſtola candida indutus pulpitum aſcendit, Regemq́ue his verbis per interpretem intrepidus alloquitur.

Abba per vim Pannonię regnū vſurpat.

Oſeę c. 4.

De

De intrepida eius reprehenſione ad Regem Abbam, & prædictione malorum quæ ei euentura erant. Cap. XVIII.

OBSERVATIO ſanctæ quadrageſimæ peccatoribus pro venia, iuſtis pro pręmio conſtituta eſt. Quam tu Rex cum cędibus pollueris, mihiq́; nomen Patris eripueris, per te dulciſſimis filijs orbato, nullam hodie veniam mereris. Et quia pro Chriſto meo hodie mori paratus ſum, quæ tibi ſint euentura pronunciabo: Anno tertio regni tui gladius vltionis excitabitur in te, qui tibi regnum improba fraude per vim acquiſitum auferet, & cum illo pariter & vitam. Hæc cum Regis amici liberalibus inſtituti literis, attoniti mirarentur, innuebant interpreti vt taceret, Epiſcopum ab ira, & indignatione Regis ſeruare volentes: Iiſque interpres timens aſſenſit: At verò Paſtor immorigerum interpretem perurget, & compellit, vt pergat ita dicens: Deum time, Regem honora, Patris tui verba edicito. Tandem coactus interpres Paſtoris declarauit ſententiam, non mediocriter Regis iram reformidans, quæ ipſi Regi metum non leuem incuſſit. Poſtquam autem euenere, quæ dixerat beatus Epiſcopus, totius Regni incolæ re ipſa didicerunt, eum prophetiæ ſpiritum habuiſſe. Prædixerat namque etiam in illa gente immanem ſeditionem excitatum iri, atque in ea ſe mortem appetiturum.

Prædicit S. Gerard⁹ impio Regi diuinã vltionẽ, futurã anno 1044.

Prędicit regni ſeditionem futuram ann. 1046.

De adimpletione eorum quæ prædixerat, & relapſu populi ad Idolatriam. Cap. XIX.

Hoc fuit ann. 1048.

VNO inde luſtro euoluto, & altero inchoato, prædicta ſeditio extitit. Cũque vir Dei totam prouinciam Canadienſem ad fidem Chriſti conuertiſſet, Eccleſiamq; cathedralem ſub honore beati Georgij martyris conſummaſſet, nec non monaſterium Beatæ Virginis in contiguo Eccleſiæ Beati Iohannis Baptiſtæ pro ſua ſepultura ſimiliter aſſumpſiſſet, easque per ſanctum Regem Stephanum nobiliter multis poſſeſſionibus dotari feciſſet, plenus ſpiritu prophetico anno vndecimo poſt mortem ſancti Regis Stephani, hoc ordine ad martyrium acceſſit. Cum enim maxima diſcordia inter prædictum Regem, & Hungaros orta eſſet; Hungari miſerunt ſolennes nuncios ad filios Vazul, Andream, Leuentum, & Belam, qui erant de genere ſancti Regis Stephani, petentes, vt de Polonia, & Roxolania, in quibus exulabant, ad Hungariam reuerterentur: Bela autem in Polonia remanente, Andreas, & Leuenta in Hungariam reuerſi ſunt. Quod vbi reſcitum eſt, innumera Hungarorum multitudo ad eos confluxit in Ciuitatem Peſth, qui conſalutatis Regibus, obſtinata efflagitatione poſtularunt, vt vniuerſum populum pagano ritu viuere, ſcythicaq; numina recolere, ad hæc Epiſcopos, & Clericos, collegia ſacerdotum & Chriſtianos, vel maxime peregrinos, paſſim trucidare, demum baſilicas, & templa omnia diruere permitterent. Quod ſi impetrarint, ſe interfecturos Petrum, & pacatum eis Regnum præſtituros pollicentur. Quum reguli ſine permiſſione illa, Regnum recuperare non poſſent, vltrò

poſtulata conceſſerunt. Quare ex Hungaris primus omnium Vatha, ex Belo oppido natus, ſe Dæmonijs deuouit, caput ſcythico more raſit, cincinnos pagano ritu tres dimiſit, cuius exemplo ſic reliqui omnes fecerunt, Dæmonijs libauerunt, & cœperunt comedere equinas carnes, & omnia peſſima facere, Clericos, & Chriſtianos omnes interficere, Eccleſias deſtruere, & per præcones proclamare ex edicto Andreæ, & Leuentæ, vt Epiſcopi cum Clericis, Monachis, & Chriſtianis interficiantur, ita vt memoria eorum pereat in æternum, & ritus patrum iniquorum reaſſumatur. Quod cum Sanctus Gerardus, Beztertus, Buldus, & Benetha, Epiſcopi, item Zonuchus Princeps Albanus accepiſſent, ad Albam regalem cum multitudine Chriſtianorum obuiam vltrò prodeunt, vt nouos Reges Andream, & Leuentem honorificè ſuſcipiant. Cumque feſtinanter prædicti Epiſcopi ad locum veniſſent, qui dicitur Gyod, apud Eccleſiam ſanctæ Sabinæ Virginis & martyris hoſpitio vſi ſunt, illicque cœnantibus fratribus, Sanctus Gerardus, habito prius exhortationis gratia de fide catholica, præmioque vitæ æternæ, ſolemni ſermone, populo aſſiſtente, prorumpens in lacrymas ait; Fratres, & Amici, cras ad cęnam agni Dei vocamur. Itaque abſque detrectatione properemus, pro Chriſto moriamur: Vos enim omnes qui adeſtis hodie ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum corona martyrij in æterna gaudia peruenire oportet: Ego enim notum facio vobis arcanum Dei, quod mihi in hac nocte reuelatum eſt. Vidi enim Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in tabernaculo Beatiſſimæ matris ſuæ Virginis Mariæ ſedentem, noſque ad ſe vocatos de manu ſua, corporis, & ſanguinis ſui Euchariſtiam communicaſſe. A Benetha verò Epiſcopo, cum ad eum acceſſiſſet, retraxit Euchari-

Perſecutio Eccleſiæ in Hũgaria.

Prædicit etiam obitum ſuũ.

Prophetizat quoq; Benethã Epiſcopũ ſolum inter oẽs ſocios minimc Martyrio coronandũ.

ſtiam Ieſus Chriſtus; vnde ipſe hodie conſortio martyrij noſtri priuabitur. Poſt hæc beatus Gerardus admonuit eos, vt confiterentur alterutrum peccata ſua.

De morte eius pretioſa, & ſociorum, ac loco ſepulturæ.

Cap. XX.

ALTERA verò illuceſcente die Pater ſanctus Miſſam celebrauit, menſæque Chriſti multitudinem ſibi adhærentem fecit participem, lætusque ad martyrium perrexit, verſus Peſthum iter iniens. Beatus verò Gerardus cum eſſet Vir ſtatura breuis, & præ ſingulari vitæ aſperitate, omnes vires ſuas in Dei ſeruitio conſumpſiſſet, curru vehebatur. Vbi autem ad Danubij portũ perueniſſem, ecce quinque impij, Vatha duce, & cõplicibus, qui ſe cum liberis dęmonibus planè deuouerant, cum turba populi eum circunſiſtunt, lapideſque in eum in curru ſedentem, ac in Epiſcopos, ſocioſque omnes, iactant, à quibus tamen, Deo eum protegente, tactus nõ eſt: Ille enim ex aduerſo benedictionem, & Crucis ſignum opponit. At impij homines tandem equorum retortis collis ſubuertunt currum, Patremque humi abijciunt, & magno impetu lapidare conantur.

Iactantur lapides in eum, ſed ſigni ſanctæ Crucis oppoſitione à beato Viro declinabant.

Tum inſtar prothomartyris Stephani, primus Panoniæ martyr, poſitis in terra genibus clamabat voce magna dicens: Domine Ieſu Chriſte, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt: & cum hoc dixiſſet, eo magis in eum plebs impia irritatur, curru iam deturbatum

Act. ca. 7.

batum

batum rapit, bigiſque in montem fluuio Danubio promi nentem ſubuehit, ſubuectumque ex prærupta rupe in ſubiecta ſaxa præcipitat, & dum adhuc palpitaret, in pectore lancea perfoditur, ac ſuper vno lapide capite, ac cerebro contuſis, tandem glorioſus martyr Chriſti ab ęrumnis ſęculi huius ad æternam beatitudinem tranſmigrauit. Lapis autem in quo contritum eſt caput Sancti Gerardi, anno Domini milleſimo quadrageſimo ſeptimo, cum eſſet ſancti viri ſanguine fœdatus, nulla Danubij inundatione dilui potuit, quamuis annis circiter ſeptem ibi permanſerit; donec à Sacerdotibus recollectus in altaris ſummitate cum martyris ſanguine in rei geſtæ teſtimonium collocatus eſt. Eadē autem die maxima Chriſtianorum ſtrages facta eſt. Duo enim Epiſcopi multique viri religioſi interempti ſunt: quorum numerum & nomina ſola Dei ſcientia collegit. Buldus enim Epiſcopus lapidibus obrutus, pari morte tranſijt ad gloriam; & Beztritus impiorum vulneribus confoſſus tertio die migrauit à ſęculo. Benetha verò Epiſcopus Ducis interceſſione ex eorum manibus liberatus eſt. Zonucus quoque Comes cum omni multitudine, & familia Epiſcoporum interfectus eſt: ſicque prophetia Sancti viri Gerardi completa eſt; ex qua reuera patet quanta ſanctitate fulſerit, & quantis gratijs à Deo donatus ſit. Erat enim virgo, Doctor decretorum, magiſter ſacræ Theologiæ, à quinto anno pueritiæ incipiente habitum Sancti Benedicti portans, inſuper dignitate Epiſcopali præditus, martyr glorioſus, qui pro ſancta Eccleſia in Hungaria primus martyr extitit. Cuius quidem corpus, cum in loco martyrij ſui iaceret, nulla ſorde commaculatum eſt: porrò ſequenti die à catholicis viris in Eccleſia ſanctæ Dei genitricis in Peſth omnibus colla-

Hic mōs prope Budam etiā hac noſtra tempeſtate dicitur mōs S. Gerardi.

Lancea cōfoſſus occidit.

Lapis S. martyris ſanguine tinct⁹ miraculosè aquis Danubij ablui nō poteſt.

Multi Chriſtiani cędun tur.

Benetha Epiſcop⁹ non coronat Martyrio, ſicut pdixerat S. Gerardus.

Quantus fuerit S. Gerard⁹.

crymantibus conditum eſt, in eodem habitu quo martyrizatus eſt.

De miraculis Sancti Gerardi poſt eius mortem. *Cap. XXI.*

Miraculum.

Nota antiquitatẽ radendi barbam ĩ in monachis.

POST mortem viri Dei, cum quidam nefandus in cõuiuio ſedens pilos ex marſupio extraheret, illudensq́ue beato viro, ad conuiuas diceret: Hi ſunt pili illius raſæ barbæ, qui nos auertere à paternis traditionibus ſe poſſe exiſtimabat; protinus à Dæmonibus arreptus, carnẽ proprijs dentibus mordens vitam exhalauit: Si qui autem infirmorum corpus eius tetigiſſent, aut ſanguinem eius de terra collegiſſent, protinus à varijs infirmitatibus curabantur. Dux autem Andreas ſtatim atque in Alba coronatus eſt, præcepit vniuerſæ genti ſuæ, ſub pena capitalis ſententiæ, vt depoſito ritu paganiſmi ad fidem Chriſti reuerterentur, & ſecundum ſtatuta Regis Sancti Stephani viuerent, quod & factum eſt. Ipſe etiam Rex pietate valde Chriſtianus duo monaſteria conſtruxit, Tychonienſe vnum, alterum Vicegradum. Cum igitur, ſeptem annis corpus Sancti Gerardi, vbi tumulatum fuerat, ſub terra iacuiſſet, Maurus Epiſcopus Canadienſis, & Philippus Abbas Monaſterij Beatæ Mariæ Virginis de Canadino, quem Sanctus Gerardus adhuc viuens Abbatem in prædicto monaſterio præfecerat, vt fidiſſimi ſancti viri procuratores, adierunt Regem Andream cum multitudine nobilium de Epiſcopatu Canadienſi, petentes vt Peregrini atque hoſpitis Patris, beati, ſcilicet, Gerardi Epiſcopi, & martyris corpus,

Edictum Regis de Chriſto ſolo colẽdo.

Monaſterium Tychoniæ inſulæ in honorẽ S. Aniani à Rege fundat.

Is eſt annus Dñi 1054.

quod ſepultum erat in Capella matris Dei Virginis Marię in Peſth, liceret eis ad ſedem Moroſſenam trāſferre; quod cum impetraſſent, ac deinde ad tumulum Sancti martyris perueniſſent, miram fragrantiam ex ſepulchro eius exire ſenſerunt, & corpus eius tam nitidum, lucidumque reperérunt, ac ſi eo die martyrizatus fuiſſet. Cum ergo ſanctum corpus deferretur, currebat multitudo debilium, cęcorum, claudorum, aridorum, qui tacto corpore, vel habitu eius omnes ſanabantur. Et cum prę multitudine populi inde egredi non valerent, noctu egreſſi ſunt. Et cum aliquantulum proceſſiſſent, manus cuiuſdam contractæ mulieris, quæ corpus ſanctum tetigit, mox reſtituta eſt ſanitati. Inſuper iumenta quæ currum trahebant, nec comedere, nec bibere viſa ſunt, ſemper lętè procedentia quaſi nullum pondus ſentirent. Currebantque de Villis, & de tota illa prouincia Canadienſi corpori viri Dei obuiam, deprecantes, vt ſicut ipſos ad fidem conuerterat, dignaretur etiā apud altiſſimum pro ipſis intercedere. Cumque ad Fluuiū Moroſſum perueniſſent, & more ſolito currus cum corpore in naui eſſet, nauis à tanta multitudine moueri non potuit. Et cum præ deſperatione remos de manibus ſuis proieciſſent, nauis adeò velociter flumen pertranſijt, vt omnē artem humanam excederet. Ibi ergo Philippus Abbas cum Canonicis, ſacerdotalibus induti, cum magna proceſſione ſanctum corpus ad Beatę Virginis monaſterium, quod ipſe viuendo pro ſepultura ſua cōſtruxerat, iuxta Eccleſiam Sancti Iohannis Baptiſtæ collocauerunt. Ibique facta eſt altercatio magna inter Philippum Abbatem, & Canonicos, aſſerentibus Canonicis, quòd in Eccleſia Cathedrali deberet ſepeliri, contradicente verò Philippo Abbate ex auctoritate apoſtolica, quia vir Dei viuēs eā procurauerat pro ſepultura ſua, quam elegerat in monaſterio

Transfertur corp. S. Gerardi.

Multi infirmi curantur.

Aliud miraculum.

Aliud.

Deuotio populi.

Aliud.

Altercatio pro eius corpore.

Aliud miraculum. Beatæ Mariç Virginis:ſed cum Canonici ſanctum corpus ad Eccleſiam Sancti Georgij martyris deportarent, illud nullatenus deponere potuerunt, ſancto viro deponi ſe nõ permittente, niſi in loco memorato vbi elegerat ſepulturam. Aliud. Hi verò qui Feretrum portabant, illuc miraculosè gaudenter properabant, quò ducebantur inuiti. Cum autem perueniſſent ad prædictum locum ſepulturæ, tanto pondere portantes ſacrum corpus oppreſſi ſunt, vt nullatenus moueri poſſent, & è contra ſacro corpore depoſito adeo alleuiati, quaſi, ſicut vnuſquiſque eorum poſtea referebat, ſi ab onere magno longioris viæ fuiſſent liberati. Denique cum præ multitudine populi ipſum ſepelire non poſſent, nec diuinum officium per aliquas ſeptimanas explere in Eccleſia, habito conſilio parauerunt populo conuiuium; cumque conueniſſent ad manducandum, Abbas cum Epiſcopo, & monachis, clauſis ianuis corpus venerabile honorificè, & reuerenter ſepelierunt; habitum, in quo fuit interfectus, ideſt tunicam habentem caputium, quę alio nomine Floccus dicitur, dalmaticam, pallium de pilis camelorum, lapidem, quo obrutus fuerat, cilicium, & flagellum quibus caſtigabat corpus, inſimul ſuper ſepulchrum eius collocantes.

De

De alijs miraculis, & eius ſacra translatione. Cap. XXII.

PARVVLVS quidam contractus,cum à parentibus ſuis delatus fuiſſet in portum Peſthieſi,ad corpus ſancti Martyris, ſola ſancti corporis viſione ſanitaté accepit. *Miraculũ aliud.*
Virgo quædam Teutonica oculis caligi-noſis, tactu manuum, oculorum promeruit ſanitatem. *Aliud.*
Ibidem etiam nauta caſu accidente digitos manuum contriuerat remigando,qui erant inſuper ita confracti ex rotis curruum, vt præ nimio dolore clamoribus aerem repleret; cum magno igitur eiulatu ad ſanctũ corpus venit, quod cum tetigiſſet, ſanatus eſt. *Aliud.*
Quædam virgo pulchra quidem facie, ſed lippis oculis, per fratres ſuos ad corpus Sancti martyris adducta, cum illud porrectis manibus tetigiſſet, lumen oculorum recepit. *Aliud.*
In ſede autem Moroſſena,cum adhuc in Feretro iaceret, cuidam ſacerdoti nomine Pech, qui erat monoculus, reſtituit viſum. *Aliud.*
Item quædam Domina, Vxor videlicet Boch, quæ fuerat quondam de Vxoribus Acthum, quã ipſe Sanctus Gerardus baptizauerat,cum febrem grauiſſimam pateretur, facta oblatione venit ad ſepulchrum, & mox, vt pallium viri Dei fuiſſet oſculata, ſanitatem recepit. *Aliud.*
Paruulus quidam percuſſus à Serpente, ita ut præ nimio veneni dolore caro eius in tumorem grauiſſimum conuerſa eſſet, ad ſepulchrum martyris, à parentibus allatus, tam à dolore, quam à tumore liberatus eſt. *Aliud.*
Quædam Mulier noctu in campum ingreſſa, cum ex eo aliqua furtiuè extraheret, à Dæmonio obſeſſa eſt,& latrans more canum, cum aduenſiens aſtitiſſet iuxta corpus Sancti Gerardi Martyris, liberata diſceſſit. *Aliud.*
Canonicus Sancti Georgij guttam grauiſ- *Aliud.*

ſimam patiens, meritis beati Epiſcopi, poſt tres dies ſanitati eſt reſtitutus. Ruſticus quidam habens buſonem in capite, cum propter aſpectum terribilem, & horrorem animalis, oſtium monaſterij ingredi non permitteretur; à Monachis dolori eius compatientibus, Sancti martyris ſanguis panno alligatus, & ſuſpenſus in arundine, & in crucis modum huc, atque illuc, populo procul ſtante, ſuper buſonem extractus eſt, quo facto buſo cecidit in terram, & Ruſticus ſanatus eſt. Deinde ſancti martyris ſanguis collectus in vnum, poſitus eſt in vaſculo, cuius tactu diuerſi infirmi curati ſunt. Hæc autem ſigna, & multæ aliæ gratiæ catholicis viris meritis Sancti martyris collata ſunt, & illa quidem euidenter vſque ad tempora beati Ladislai Regis, & Domini Laurentij Epiſcopi, qui à beato viro quintus eius cathedram accepit, & rexit: præfati enim Regis tempore à Sancta Romanæ Eccleſiæ Synodo iniunctum eſt, vt Sanctorum corpora, qui Pannoniam fidei prædicatione irrigaſſent, ſummo honore afficerentur, & dignis laudibus colerentur; veniente etiam Sedis Apoſtolicæ legato, & nobilium Pannoniꝗ coacto conuentu, ſacrum huius beati martyris corpus Canonizatum eſt Anno Domini milleſimo, ſeptuageſimo octauo, & poſt modum eleuatum, Regis & Principum humeris translatum eſt, honorificeque depoſitum eo loco, vbi pro meritis tanti Patris ſuperna gratia, efficiendis, & declarandis miraculis, largius coruſcat.

Sanguis ei⁹ diuerſos curat infirmos.

Fuit iſte ſeptimus Hũgariæ Rex, & Sanctus. Illud fuit tempore S. Gregorij VII. Papæ, & Monachi, anno 1078.

Hucuſq; auctor vitæ.

De

De eleuatione eiuſdem, Sarcophago aureo, & Altari, & de morte Reginæ. Cap. XXIII.

POST hæc anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, Deo deuotiſſima ac ſancta Regina Eliſabeth, relicta Caroli Regis Hungariæ illuſtris Domina, ex equo lapſa in grauem morbum inciderat, de qua infirmitate cum per merita Sancti Gerardi conualuiſſet, pro deuotione, quam ad ipſum ſanctū habebat, in ſui grati animi inditium monaſterium ipſius viri Dei in ædificijs extendit, pluribus ornamentis precioſis, & Calicibus decorauit: Inſuper ſepulchrum, argento, & auro mirifici operis contextum pro reliquijs eiuſdem ſancti eleuandis parari fecit, ſuper quod, & ipſius familiæ inſignia Regni Hungarię ſtemmatibus annexa, martyrijq́ue corona, & palmis inſignita ſculpi voluit. Tumbam verò ſimul cum Altari in corpore eiuſdem monaſterij conſtruxit, in quibus prædicto anno oſſa beati Martyris ſic locauit: poſt maiora oſſa beati Martyris fecit poni in ſepulchro argenteo, & aureo, cum aliquibus reliquijs aliorum Sanctorum: & minora oſſa cum cilicio, & flagello, & cappa, in qua martyrizatus eſt, ad tumbam maiorem locari, cuius memoria in benedictione eſt. Eadem verò Domina & ſancta Regina, anno Domini M CCC LXXXI, migrans ad Dominum, ſepulta eſt in veteri Buda in Clauſtro monialium, quod ipſa fundarat.

Hæc ab alio auctore poſtmodum adiecta.

Vitæ, ſeu Legendæ S. Gerardi Sagredo Finis.

Index Capitum.

DE Parentibus, patria, ortu & inſtituto S. Gerardi. Cap. 1
De expeditione Hieroſolymitana, & morte patris eius. Cap. 2.
De ſancta eius conuerſatione in monaſterio, & promotione ad Prioratum. Cap. 3.
De aſsidua lectione ſcripturarum & miſsione eius ad ſtudium Bononiæ. Cap. 4.
Quomodo factus ſit Abbas, & de eius peregrinatione ad terram Sanctam. Cap. 5.
De mutatione propoſiti ad terram ſanctam peregrinandi. Cap. 6.
De profectione in Hungariam ad fidei prædicationem, & quam gratanter ſit acceptus. Cap. 7.
Quomodo ſit adductus ad ſanctum Stephanum Regem, & Epiſcopus Moriſſenus deſignatus. Cap. 8.
Quomodo vi retentus ſit à Rege, & de eius profectione ad Eremũ. Cap. 9
De bello S. Stephani Regis contra Achtum Principem & de nominatione ciuitatis Canadinæ. Cap. 10.
De ordinatione eius ad Epiſcopatum, & diſſeminatione Euangelij per duodecim monachos. Cap. 11.
De fructu, quem faciebat cũ monachis, & inſtitutione ſcholarũ. Cap. 12.
De conſtructione Eccleſiarum, & eius pijs inſtitutis in honorem Virginis Mariæ. Cap. 13.
De eius ſolicitudine circa diuina myſteria, & miſericordia circa afflictos. Cap. 14.
De vigilantia eius ſuper gregem ſuum, & quibuſdã incidentibus. Ca. 15
De donarijs quibus honoratus eſt à Rege, rigore eius in delinquentes, & ſpiritu prophetico. Cap. 16.
De morte Sancti Stephani Regis, & ſchiſmate pro ſucceſsione Regni. Cap. 17.
De intrepida eius reprehenſione ad Regem Abbam, & prædictione eorum quæ euentura erant. Cap. 18.
De adimpletione eorum quæ prædixerat, & relapſu populi ad Idolatriã. Cap. 19.
De morte eius pretioſa & ſociorum, ac loco ſepulturæ. Cap. 20.
De miraculis S. Gerardi poſt mortem. Cap. 21.
De alijs miraculis, & eius ſacra tranſlatione. Cap. 22.
De eleuatione eiuſdẽ, Sarcophago aureo, & altari, & de morte Reginæ.